Randolph, Herbert) Rector of
837 C. C. Dec.
13

CHICHLÆUS.

Σκοπεῖτε δὲ· καὶ γὰρ εἰ παρελήλυθεν ὁ τῶν πραγμάτων καιρὸς, ὁ τὸ γὲ εἰδέναι τὰ τοιαῦτα καιρὸς ἀεὶ πάρεστι τοῖς εὐφρονοῦσι. *Demoſt.*

DUM luſtro, celebris quas [1] *Dorovernia* jactat,
Eductas cœlo moles, tumuloſque *Parentum*
Relligione ſacros, veterum monumenta Virorum;
Neſcio quos, præter ſolitum, mihi ſuſcitat ignes
Majeſtas auguſta loci, memorique recurrunt
Virtutes & facta *Patrum*, veſtigia cerno
Aut ſaxis commiſſa, aut æri inciſa ſuperbo,
Quæ nunc exigua, & vix agnoſcenda ſuperſunt.
Hic confuſa oculis pandit ſe Mortis imago,
Relliquiæque ævi tenues; hic cincta ruinis
Stat trunca effigies, & tempore ſaucia luget
Exeſos titulos, & honore carentia buſta.
Hic ſparſi *Regum* cineres, ingentia quondam
Nomina, nunc greſſu ſuper oſſa caduca frequenti
Vadimus immemores: hi quæ geſſere per Orbem
Obruta morte jacent, & nocte premuntur iniqua.
Jam quæro [2] *Anſelmum*, quæque olim *Eccleſia* fudit
Lumina, *Pontificeſque* pios; ſed nulla ſuperſunt
Signa locis, tumuliſve notæ; leve munus humandi,
Quicquid erat, nihil eſt; ſortem miſeratus acerbam
Facta virum recolo, & mentem Mortalia tangunt.
Heu! deſunt, inquam, *Druides*, qui carmine dignos
Heroas, claraſque olim ſuper aſtra *Parentum*
Evexere animas, priſcis dare lumina rebus
Gaudentes, Famamque imis excire Sepulchris.

[1] *Cantuariæ* nomen antiquum. [2] Virum tam *Archiepiſcopali*, qua evectus eſt, dignitate, quam operibus, quæ reliquit, inſignem.

Hinc quæ quiſque ſibi laudum, dum Vita manebat,
Struxiſſent Monumenta, eadem tellure repoſti
Conſervant, longum non interitura per ævum.
Hæc mihi verſanti occurrit venerabile buſtum
CHICHLÆI, vivoque è marmore ſpirat imago.
Tene etiam ſublapſum olim venientibus annis
Convellet, dixi, Tempus? tantumne licebit
Fortunæ? parilemque (nefas!) patiere ruinam?
Avertant Superi facinus, Tua ſtet, precor, ingens
Effigies, gratique velint meliora nepotes.
Semper ſervet honos ſedem Tuus, almaque Nomen
Inſtauret *Rhedycina*, & ſaltem hoc læta rependat
CHICHLÆO officium; viret, æternumque vireſcat
Fama recens nullo delebilis intervallo.
Priſtina quinetiam renovabunt facta *Poetæ*,
Et Tua *Pieriis* innectent tempora ſertis.
Quos inter (non quod tali me dignor honore,
Inque Tuas ſpero cantando aſſurgere laudes)
Antiquos rerum Annales, Faſtoſque revolvo
Te celebrare auſus; ne carmine digna perenni,
Aut mergat tenebris anguſti terminus ævi,
Aut partem exiguam tenuis Famæ aura relinquat.
Quin age, *Diva*, precor, varios expandere caſus
Incipe, totiuſque ſimul miracula Vitæ
Attonitis metire oculis; en! aſpice crines
Incanos, en! cerno Virum, & decorantia Mitram
Tempora; ut elucet Facie patefacta Serena
Virtus inconcuſſa! ut aperto Lumine Vultus
Erectos gerit, & nullius conſcia culpæ
Pectora! non molli nitet illic Purpura luxu,
Non faſtus, *Beckette*, tuus; ſed neſcia fraudis
Simplicitas, ſed priſca fides, & gratia miti
Fronte ſedet manifeſta; Humilis toto enitet ore
Majeſtas, Gravitaſque alacri Dulcedine miſta.
Sed quo, *Muſa*, nimis laxa expatiaris habena?
Quo te deluſam placidè deducit imago?
Aggredere ô tandem, primaque ab origine Magnum
Contemplare Virum, teneræ Cunabula vitæ,
Egregiaſque animi dotes; non evehit illum

BRITISH MUSEUM

Pa-

Patris Nobilitas, Generiſque ingloria merces,
Vi propria aſſurgit Majorum haud indiga Virtus.
Teſtor Te, *Rhedycina*, Tuo nam, *Diva*, receſſu
Lætus, inaſſuetas generoſo in pectore flammas
Senſit, & occultis ſuccrevit viribus Heros.
A Te, Magna Parens, vitæ documenta futuræ
Accipiens, teneris Decus affectavit ab annis.
Sub Te, nutritus, ſtudiiſque imbutus amœnis
Primitias tulit egregias; Tu pectora laudis
Æmula formaſti, ferventemque indole mentem.
Sic in *Pæſtanis* creſcit feliciter hortis,
Vere tepente, Roſa, & rore exſaturata ſalubri
Purpurea expandit folia, & fulgore coruſcat
Inſolito, ſuccos vireſque miniſtrat amica
Ubertate ſolum, florique accommoda Tellus.
Non tamen obſcuræ tranquilla Silentia Vitæ
Ducere, nec mutas agitare inglorius Artes
Tu, CHICHLÆE, potes; placidæ indulgere quieti
Non Tibi conceſſum eſt; Animum ad Majora capacem
Evocat, ingeniumque vigens *Eccleſia* poſcit.
Nam *Diadema triplex*, *Papæque* Potentia triſtes
Accendunt lites, *Petrique Cathedra* Tyrannos
Tres ſimul Una tenet; rupto jam fœdere fratres
Pluſquam civilis torquet furor, omnia miſcet
Ambitio, dubiamque quatit Diſcordia *Romam*.
Tantum Primævos mores heu! degener ætas
Permutare valet, tantum ſuadere malorum
Pontificum Fraudes, & Honoris prava cupido.
Scinduntur miſeræ ſtudia in contraria gentes,
Incertum trepidat Vulgus, muſſantque *Cuculli*
Quis regat errantes, quem tota *Europa* ſequatur,
Cui Deo in ambiguis poſſint confidere rebus.
Extemplo *Britonum* turbata *Eccleſia* Sacros
Convocat in cœtum *Patres*, nec dignior uſquam
CHICHLÆO apparet, qui mitti poſſit in Urbes
Auſonias, pacemque Diſerto ſuadeat Ore.
Et ſi diviſi ſcirent coaleſcere fratres,
Si rabies *Monachorum* & inexſaturabilis ira
Placari poſſent, à Te placata fuiſſent.

Verum

Verum ubi nulla data eſt odia exſuperare poteſtas,
Multa preces lachrymaſque Tuas teſtatus inanes
Diſcedis, Patriaſque petis melioribus oras
Auſpiciis, ubi *Mitra* tibi donanda, Verendi
Expectat ſignum Officii; Te amplexus Amore
Eximio decorat Princeps, Tibi maxima rerum
Verborumque fides; Regali aſſurgis in Aula
Aſſiduus Solii defenſor, &[3] ore potenti
Reſcindis *Salicas* Leges, & Sceptra negata
Fœmineis manibus; Tu verſas triſtia *Gallo*
Conſilia, *Henricique* armas in prælia dextram.
Hunc, cujus teneros nimium contemſerat annos,
Horret jam *Gallus*, ſentitque exterritus iras
Sæpe laceſſitas, *Britonumque* ultricia tela:
Nempe Tuis monitis Famæque accenſus amore
Angliacus movet arma Leo; Tibi Bellica Laurus
Debetur, captæque Urbes; Tibi mille Trophæa
Enſe reportata, & cæſis memorabile *Gallis*
Prælium *Agincôrti;* Tu dignos Principe mores
Henrico addideras, tu pulchris artibus acrem
Ditaſti Heroa, & generoſos pectoris æſtus
Foviſti, quibus ille viros, quibus obruit urbes.
Nec minùs interea, dum Rex ad mœnia magni
Fulminat *Harflæi*, leviora negotia mentem
Sollicitant, tenueſve piget cognoſcere curas.
Tu reſides animos deſuetaque corda labori
Extimulas, fundiſque Tuum per membra vigorem,
Nec pateris *Monachos* ſolito torpere veterno.
Aſt eheu! ſubito turbantur gaudia luctu,
Langueſcit triſti Victoria cincta Cupreſſo,
Et maculat lætos Mors immatura Triumphos.
Occidit *Henricus*, virideſque in vertice Laurus
Marceſcunt Regi; Tua quis ſuſpiria fando
Explicet? aut ſperet tantos æquare dolores?
Tu Regem fida poſcis, maleſane, querela,
Extinctumque vocas fruſtra; Tu damna *Britannûm*
Et Patriæ Funus præſago pectore luges.

3 Hujus orationis argumentum fuſiùs tractatum ſiquis velit, conſulat fidum in rebus *Hiſtoricis Poetam Shakeſpearum*, in *Heurico* quinto, *Act.* 1. *Scen.* 3.

Nec

Nec tamen inde, licet caſu concuſſus acerbo
Tu ſuccumbis, iners, fletuque evictus inani;
Sed Tua Te revocat Pietas, miſeroſque Penates
Plantagenûm fulcire paras; conjungis amicè
Diſcordes animos Procerum, atque auferre laboras
Jam nimium manifeſta futuri Semina belli.
Dum Tua fida manus commiſſas flectit habenas,
Securum perſtat Diadema, & [4] Regius infans
E cunis Populo placidè dat jura volenti.
Haud ſecus aërio conſurgens vertice Quercus,
Ipſa inſtar nemoris diffuſos undique ramos
Emittit, dulces Aquilis implumibus Umbras.
Te moderante, ſuam ſervat *Lancaſtria* ſedem,
Eboracique filet late Domus; æmula corda
Tu medius reprimis, tenui diſcrimine, ut Iſthmus,
Hinc illinc cohibes geminum Mare; Molibus Undas
Depellis, tumidoſque vetas concurrere fluctus.
Nec Tu præcipites Armorum inſtare Tumultus
Nequicquam horrebas; ſerpit jam noxia peſtis,
Et ſævit Furiale Malum; Vulgi aggerat iras
Prævia Seditio; at medio de Turbine rerum
Te, divine Senex, rapit indulgentia Cœli,
Nec patitur tanto cruciari corda dolore.
[5] Felix Morte tua! non ergo indigna Tuorum
Funera vidiſti, & Civilis crimina Belli;
Non Conſanguineas Acies, *Britonaſque Britannis*
Certantes odio, & nullos habitura Triumphos
Prælia; non patres natorum cæde rubentes,
Non Procerum ſtrages, torvoque minantia vultu
Sparſa per infeſtos inhumata cadavera campos.
Nam Tu, qui tenero mærebas pectore caſus
Hoſtiles, nimioque ſubactos ſanguine *Gallos*,
Quo gemitu cladem ingentem miſeræque ruinas
Aſpiceres Patriæ? quo ferres corde dolentem
Fortunæ luſus, tractumque in vincula, Regem?
Decrevit melius Superûm juſtiſſima Cura,

4 *Henricus* ſextus. 5 Fortunatus illius exitus, qui ea non vidit, cum fierent, quæ providit futura. *Cicero* de *Hortenſio* locutus. Ut non tam plangendus ſit, qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei qui de tantis malis evaſerit. D. *Hieronym.* in Epitaphio *Nepotiani.*

Te voluit ſaturatum Annis, viridique Senecta
Oppetere, & placido æternum requieſcere Somno.
Tu vero ſerum producere Nomen in Ævum
Curaſti meritis; Te nec ventura ſilebunt
Secula, ſed læti referent Tua facta Minores.
Præcipue [6] Domus illa Tuis, quæ mænia tollit,
Fundata Auſpiciis, turreſque oſtentat avitas,
Auctorem confeſſa ſuum, benefacta rependens
Priſca Tibi laudum feret immortalia dona.
Dum placidè exultans celebrem longo ordine prolem
Enumerat, ſimileſque Tibi producit Alumnos,
Qui Tua felices Veſtigia ſemper adorant
Non tantum laudare, ſed & ſectarier auſi.
Hinc Sedem dignam Eloquio, moleſque *Theatri*
Auguſtas, æterna Animi monumenta Capacis
Sheldoni poſuere manus; hinc ſurgere late
CODRINGTONI arces & celſa fronte minari
In cœlum turres; hinc pulchrum extendere murum
Atria ſuſpicimus, creſcentes inde columnas
Robore perpetuas; quos, non ſine laude, labores
Miretur Præſens, quos Poſtera diligat Ætas,
Munificoque Opere & dulci fruitura receſſu.
Haud ſecus Agricolæ, quos provida cura Nepotum
Exercet, ſtimulatque futuræ Stirpis amore,
Qui ſibi nil proſint, educunt ſemine fœtus
Arboreos, parviſque fovent umbracula Natis
Solliciti, ſeroque jubent frondeſcere Sec'lo.
Fortunate operum! Tua, CODRINGTONE, volabit
Fama, per externas huc illuc didita Terras,
Occiduaſque Urbes implebit ſparſa per illum
Quem peragraſti Orbem; longiſſima tempora vincet,
Æquabitque Tuum durando immobile Saxum.
En! tibi CHICHLÆUS, cujus ſub Mœnibus altum
Nutrieras genium, propria de laude Coronam
Exhibet, & ſocios ultro partitur Honores.
Illum ſi decoret Pario de Marmore buſtum,
Te quoque Magnifici memorabunt ſaxa Sepulchri,
Et ſuperimpoſitæ ſtabunt Tua dona Columnæ.

6 Collegium *Omnium Animarum.*

Illius

Illius nitido ſi pictum in Pariete Vultum
Felix expreſſit Calami labor, & Tibi juxta
Haud deerit Tabula; at rutilo ſpectabile fuco
Aſſumes decus, & ſacra ſpirabis in Æde.
Illic CHICHLÆI latè ſplendeſcere Formam
Cernes, vicinique in vultu Præſulis hærens
[7]*Grevilli* pulchrum ſemper mirabere Donum.
Ut procul effulget radianti Murice paſſim
Effigies Animata! o quali prominet Arte
Obvia luminibus, dextramque fatetur *Apellis*!
Quæ vos, Spectantes, pertentant gaudia! quis non
Ardet inexpletum, gratoque exundat Amore,
Cum cernat patrias extare in imagine Curas,
Cernat Cœleſti perfuſos lumine Vultus,
Tutantemque Senem, quas ipſe ſacraverat, Aras?
Hunc ſublimem alis plaudentibus Agmina circum
Angelica excipiunt, fidoque Satellite cingunt
Læta Miniſterio; volitant toto aere Turmæ
Florentes pennis, & aperta luce decoræ.
Ipſe Triumphantes attollit ad æthera Vultus
Gaudia præſumens, & pectore concipit ignes
Cœlo jam propior; miratur amæna Piorum
Concilia, & placidæ ludunt per tempora flammæ.
O faciem divinam! o vivos frontis honores!
Nobilius Pictoris opus non *Gallia* jactat
Regali dives luxu; non *Itala* tellus
Artificum fœcunda Parens, licet alta recenſet
Templorum decora, & multo fulgentia fuco
Mœnia, queis *Titian*, mira queis arte colores
Induxit *Raphael*, Naturæque æmula Dextra.

Salve, ô Magne Pater CHICHLÆE, & dona Tuorum
Ore recognoſcas, & quos largitur honores
Poſteritas, placido memor intuearis Amore.
Te ſequitur Decus, & benefactis debita Merces
Gloria, quam tenebris Annorum obſcura Vetuſtas

7 Honoratiſſ. Dom. *Grevil* cujus munificentiæ debetur illa eximia pulchritudine Pictura ad Altare Coll. *Omn. Anim.* delineata.

Ne-

Nequicquam involvet, dum ſera in Secula poſſint
Aut Vates canere, aut pulchri durare Colores.
Neve Tuam Famam, licet Ætas omnia vaſtet
Improba, ſqualenteſque agat imperioſa Triumphos,
Eximet ulla dies; Tu longa oblivia lethi
Permiſtus Divis ſpernes, interque vigebis
Heroas, quorum vetuit *Rhedycina* perire
Nomina, quoſque ardens evexit ad æthera Virtus,
Quique ſui memores fecere merendo Nepotes.

H. RANDOLPH, A. B.
ex *Æde Chriſti.*

BRITISH MUSEUM